DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

HYDROCEPHALO.

QUAM

ANNUENTE DEO OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. BURCHERI DE VOLDER, Med. & Philos. Doct. hujusque, ut & Mathesios in Acad. Lugd. Bat. Professoris Ordinarii.

NEC NON

Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Celeberrimæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in Medicinâ Honoribus, & Privilegiis ritè ac legitimè obtinendis,

Publico examini subjicit

PETRUS VANDE WALLE, MOSA-TRAJ.

Ad diem XVI. *Julii loco horisque solitis.*

26



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typographum. MDCXCVII.

Nobilissimis Amplissimisque

VIRIS

D.D. MARINO à VRYBERGEN, J.C.

Sacratissimi Regis Britanniarum

WILHELMI III.

Consiliario prudentissimo, Quæstori fidelissimo, in supremo Brabantiæ Senatu, qui est Hagæ-Comitum, Senatori consultissimo.

D.D. WILHELMO DE QUADE, J.U.D. Prætorium & Secreta Urbis Trajectensis ad Mosam, summâ cum laude administranti, Liberi Baronatus Hestallensis Satrapæ splendidissimo.

Fautoribus ac Patronis amantissimis

Suam hanc Disputationem Inauguralem secum unà dat, dicat, consecrat

PETRUS VANDE WALLE,

AUCTOR.





DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE HYDROCEPHALO.

PRÆFATIO.



uemadmodum, marî magnô, turbantibus æquora ventis, imbribusque pluvialibus, & terræ conquassationibus (*dum lethales ex abysso, patentibus rimis, erumpunt undæ*) splendidissimæ *Urbes*, *Provinciæ*, *Insulæ & Pagi*, *in* MACROCOSMO *sæpenumerò* inundantur, *atque* submerguntur, *ita certè*, *haud in* MICROCOSMO *rarius*, marî ejus

rubrô iratô, *ejuſdemque* furentibus nimbis, & viſceribus præter modum preſſis atque concuſſis (*nil proficientibus aggeribus & limitibus naturalibus*) *obruuntur diluviis variis*, Provinciæ *ipſius*, Inſulæ, &, *ut ità dicam*, municipia *multa*, *nè* Metropolî *quidem*, & ſede Regiâ *exceptâ*: *Taceo jam* hæmorrhagias, purulentæque materiæ collectiones *diverſas*; *taceo ſyndromen malorum* particularium *omnium*, *ex* colluvie ſeroſâ *oriundorum*, unus *namque mihi ſufficiet heîc* HYDROCEPHALUS, *Puerorum*, *ſcilicet*, *iſte & jam pridem natorum*, *imò naſcentium morbus*, *in quo*, *Caput*, *lymphâ*, *ſeu ſerô*, multis modis *obruitur*, *ſubſequente* partium corporis cæterarum maximâ ſtrage, *quemadmodum* (*Deo annuente*) diſputatione *hâc* INAUGURALI, *pro modulo ingenii*, *oſtendere animus eſt*, Lectoris animum liberalem, præjudiciis immunem, atque benevolum, *quam humaniſſimè interea poſcens*.

§. I.

HYDROCEPHALUS ergò, ἀπὸ τοῦ ὕδατος, καὶ τῆς κεφαλῆς, ita dictus, denotat Medicis *ſeroſam illam capitis alluvionem*, *quâ*, *præternaturalî & monſtroſô* (potiſſimùm in *minorennibus*) *modô*, *illud in tumorem*, *ad lumen pellucidum*, *erigitur & adoleſcit*, *concomitante non ſolùm ſenſuum internorum*, *& exter-*

no-

norum stupore; *verum etiam motuum*, *cùm automaticorum*, *tùm arbitrariorum languore*, *nec non atrophia reliquarum corporis partium* (utut viguerit appetitus) *insigni*; *& febre lentâ.*

§. 2. Solet autem HYDROCEPHALUS, non unò sub schemate apparere, namque serum seu lympha, nunc *meningem inter* triplicem (ex observatione Clarissimi hujus Academiæ Professoris Dni. Godefridi Bidloï) *& cerebrum*, *nunc periostium inter & cranium*, *nunc & partes inter illas omnes*, & *intra cavitates cerebri*, *seu ventriculos*, *ingenti colligitur copiâ*, quorum omnium, si res exigeret, testes adducere liceret & vivos & mortuos benè multos, videsis modò, *mî Lector*, ad Doctissimi *Corn: Stalparti vander Wiel*, *cent: post. part*: 1. *obs*: XIV. & eodem notante, *Vesalium lib.* 1. *de humani corporis fabricâ*, *cap.* 5. *Fabric. Hildan. cen.* 1. *obs.* X. *Zacut. Lusitan. prax. admir. lib.* 1. *obs.* 5. *Theoph. Bonet. anat. pract. lib.* 1. *sect. ij. observ.* 45. *Steph. Blancardum collect: phys. med. cent.* 1. *obs.* 73. *Joh. Jacob. Wepfer. exercit. de Apopl. hist.* 13. *&* 14. *Fallop. obs. à Francisco Michino edit. Tulp. obs. med. lib.* 1. *cap.* 25. *&c:* prætereo consultò cæteros. *Istò* autem respectu, *potissimum*, *& generaliter*, Hydrocephalus dividitur in *internum & externum*, porrò autem, in *habitualem* & *accidentalem*, denique in *idiopathicum* & *symphathicum*, *magnum & parvum.* Ex communicatione *Pauli Freheri*, *Helwigius obs. physico-Medicar. obs.* 3. Hydrocephalum proponit, *cum vesica carnosâ circa suturam sagittalem*, *in quo*, *excrescentiis abscissis*, *subtùs cranium nullum*, *sed meninges apparuerê*, *nec intùs in latere dextrô cerebrum*, *sed hujus locô*, *carnosa & glandulosa moles*, *in sinistro verò latere*, *cerebri substantia naturalis inventa*

 fuit.

fuit. Notat quoque *Bonetus in Med. ſeptent. collat. lib.* I. *ſect.* 2. *cap. vj. Ratisbonæ fuiſſe Uxorem Præfecti cujusdam Vigilum, temperamenti frigidi & humidi, corpore obesò, ferè quadragenariam, quæ ſæpius, ſingulis penè annis,* CRESCENTE LUNA, *calvariæ ſuturis ſe dilatantibus, & adauctò tumore,* HYDROCEPHALÆAM *ſingularem patiebatur; Dolorem etiam verticis fixum diuturnum, ab hydrocephalo, in puella duodecim annorum, vid. apud P. Borellum, cent.* I. *obſ. viceſima octava. Hydrocephali rari, cujus peripheria æquabat ulnam ferè & dimidiam,* ab Clariſſimo *Johan. van Horne* inſtitutam anatomiam in Infante fere ſeptimeſtri, curioſe exponit *Joh. Nicol. Pechlinus, obſ. phyſ. med.* LXI. *lib.* I. cujus quoque mentio facta eſt apud *Bonet. l. c.* iſtic *hiatus rhomboïdes, Fontanellam vocant, longè patentior erat quàm oportebat, continuatô etiam per ſuturas, ſagittalem & coronalem, plus quàm digitalî divortiô. Tenuia admodum videbantur bregmatis oſſa & cornea ferè, in oris etiam quæque ſuis cartilaginoſa, ad notabile intervallum, ubi radiantium fibrarum oſſearum luſum pulchrè animadvertere licuit. Fluxit, acu, quâ in paracentheſi uti ſolemus, adactâ, limpidiſſimi ſeri rivus ad uncias* CLXIII. *non numeratô, quod in anfractus, cerebrique baſin ſe diffuderat; cerebri ſubſtantia tenuis admodùm erat, intus etiam rariſſimis ſanguinis permeantis veſtigiis perfuſa; in ventriculorum fundo, lenta reliqua erat & pituitoſa lympha, quæ ſe, glutinis inſtar, parietibus cerebri medullaris & ventriculorum limbis applicaverat; radix cerebri à perpetuo illo diluvio, & ſerì incubitu, defluxiſſe videbatur in fibras, quibus aliàs conſtare naturaliter ſolet: Locô ſuô, quæſita glandula pinealis non apparuit, ſive avulſa,*

avulsa, sive deliquio soluta. In plexu choroïdæo, nullæ etiam glandulæ conspectæ. Cerebellum autem plane integrum, & nulla sui parte labefactatum, nulla etiam aqua in ventriculo ejus, adeò &, quod mirandum, gyri anfractusque illæsi, & lætiore sanguinis colore perfusi.

§. 3. Ast *exemplorum* satis, nec est, quod ostendam hic *differentiam* illam *insignem & manifestam* HYDROCEPHALI, cæterorumque morborum *soporosorum*, vel etiam *vomicæ cerebri*, cujus mentionem facit *Arnoldus Bootius*, *obs. med. de affect. omissis iij.* rectà pergo ad *causas*; circa quas, potissimum verò *continentes*, sive *proximas*, sedulò operam dabo, ut *nullius auctoritati pertinaciter adstrictus*, veritati uni militem, quantumque potero, naturæ ductum sequar, & quod res ipsa suadet, fidenter afferam, nam licet vitanda sit contradicendi prurigo, atque illa ingeniorum superfœtatio, quâ semper portenti aliquid abortiunt; laudanda tamen, meo judicio, inquirendæ veritatis libertas, præsertim, ubi leniter, haud præfractô animô, omnia ventilantur. Nihil certè infelicius iis ingeniis, quæ mordicùs sentiunt, Majores nostros nihil ignorâsse; fallax quippe illud *Averrhoïs* enunciatum, *famosum impossibile est esse falsum*! Profectò ætas multa docet, etiam hebetiores, quæ sapientioribus Antiquis incognita fuerê, nec natura rerum, sacra sua simul edocet. Ratum ergò, mihi cùm sit, & inconcussum, humoris alicujus, potissimum serosi, *nullam uspiam* in corpore humano (*fortè & cujuscunque animalis & insecti*) fieri secretionem, à sanguine rubicundô, *sinè medio glandularum, vasorumque lymphaticorum*, aut siphunculorum variorum hydragogorum, non est,

quod

quod dubitem, rem *eodem* fieri modo, in *cerebro*, *vicinisque partibus*, quô in aliis, ubi lympham ſecretam & collectam cernimus; ecquis profectò, niſi *artis rudis* admodum, & cognitione verâ œconomiæ animalis deſtitutus, aſſeverare audebit; ſerum illud aliquando *limpidum*, aliquandò *purulentum* & *glutinoſum*, *craſſum*, immediatè ab arteriarum ductibus (*non niſi rubicundum* laticem continentibus) fuiſſe ſecretum, *nullis* intervenientibus *canaliculis anguſtioribus*, diverſimodè juxta ſe *convolutis & intortis*; ex quibus glandulas efformari certum eſt? vel quis *hodiè* concedet *per poros vaſorum ſanguiferorum anguſtiſſimos*, copiam illam *ingentem*, craſſioris laticis, ſuppeditari poſſe, juxta Veterum de *diapedeſi*, hypotheſin? Quis autem *porrò* concipere poterit, protrudi lympham *variam*, ab canaliculis arterioſis ad glandulas, *abſque continuatione* vaſculorum, ſive *excretoriorum*, ſive *revehentium*? atquî hæc *revehentia*, & potiſſimum *excretoria* vaſa, non poſſunt, eſſe *venæ ſolæ*; utpote quæ ſunt *ex anguſto in auguſtum*, immediatè ex arteriis emergentes, *continuatæ*, tubulis prædictis *ampliores*, nec niſi ſanguine *rubicundô* turgidæ; mitius ergo, meô judiciô, olim loqui potuisſet Clariſ. *Nuckius*, *in Epiſtola anatomica*, *juncta adenographiæ curioſæ*, quando ad quæſtionem, *utrum in cerebro etiam vaſa occurrant lymphatica?* reſpondet, *Recentiores nonnullos in eorum deſcriptione ſatis eſſe liberales*, *eademque concedere & admittere*, *verum ſe paſſim obſervare eos*, *ſyſtemata in proprio cerebro formare*, *& viſcera pro lubitu componere*; *ad experimenta enim provocatos*, *nîl egregii præſtare valere*: Ipſe autem ille ait, *ſe hâc in parte*, *ut ingenue loquatur*; *hactenus ſcopum attingere non potuiſſe*; Interim

ibidem

ibidem loci, *non negandum censet* (quomodò hæc cum antecedentibus hæreant, judicet æqvus Lector) *aliquando cerebri lymphatica, in una aut altera parte fuisse visa, etiam non ita pridem, Anatomicum quendam, inter alia sibi communicâsse*, sequentibus verbis, *vidi lymphaticum in cerebro bovino, quod examini tuo (ut originem scias & insertionem) erit dignissimum. Non longè à glandula pineali, à qua ramos fortè habet, incumbit plexui choroïdeo, ad infundibuli latera se extendens. Ante biennium*, pergit, *ductum lymphaticum ex pini glandula, eôdem modô, ut in aliis glandulis, exeuntem vidi, ita ut quidem* (NB.) CERTISSIMUM *sit, etiam cerebrum suos habere rivulos aquosos, sed nondum distinctè in lucem protractos.* Ego addo, FORTE NUNQUAM PROTRAHENDOS, quoniam (uti innumera alia) suâ subtilitate sensum visus, utut mediis artificialibus optimè munitum, effugient; sint ergò, per me, *manus Anatomicorum oculatæ, credant, quod vident*, sed certum mihi est, atque persuasum, quod nisi *ratione & judicio* simul utantur, in fabrica corporis enucleanda, semper coeci mansuri sint, & hæsuri in eodem luto. De vasis hisce *lymphaticis*, videatur quoque ex observatione Clarissimi *Stenonis*, *Th. Barthol.* in *anat. refor. lib.* 3. *cap.* 3. nec non *Bonetus*, *loco suprà citato p. m.* 27. ubi ait, *Minutarum glandularum copia cerebro non deest, sero à sanguine separando destinatæ; non pauci Autores cineritiæ substantiæ, hanc functionem tribuunt; & ipse recordor vasa lymphatica, circa superiorem glandulam* (pinealem nempe) *aliquoties fuisse reperta, quæ forsitan* (ego aio, *procul dubio*) *fuerint totidem aquæ ductus, cavitatibus cerebri humectandis, destinati.* Lectu quoque dignissima sunt,

lucemque huic materiæ fœnerantia, quæ Celeberrimus, & omni laude superior, p. m. *Carolus Drelincurtius*, cujus mortem lugere satis non potest Academia nostra, scripsit in tractatu suo aureo, cujus titulus est *de conceptu conceptus*, *perioche* XLII. ubi loquitur de munere *pulposorum cerebri acinulorum* in fœtu. Veracissimus etiam est *Hippocrates lib. de gland.* §. 7. cum quo, conferantur Excellentissimorum Virorum *Malpighii* & *Fracassati*, de *cerebro* scripta, cedro dignissima. Cum ergo videamus manifestè, ligatis & compressis venis jugularibus, sive in cane, sive brutis aliis animantibus, serum copiosum in cerebro, ejusque Ventriculis colligi (quale etiam colore rutilò tinctum in iis, qui laqueô vitam finiverunt, propter violentam pressionem sanguinis, ab arteriis versùs glandulas, conspicere datur) concludere tutò licet, quod in statu *omnis* hydropis, adeoque etiam *hydrocephali*, sanguine viam liberam non inveniente, ab arteriis versùs venas, earumve loca vicaria, lymphæ, sive Seri *major* resultet pressio, versùs *glandulas*, earumque ductus *excretorios*, qui illud deportant ad loca minus resistentia: Verum *non hæc sola est hydropis* causa proxima; datur enim & *altera*, videlicet ductuum aquosorum *ruptio*, sive demum ab *acri* hoc fiat sero, seu *nimiâ copiâ* alluente, insulasque eorum *destruente*, sive demum à causa alia *forinsecus accedente*, *comprimente atque lacerante*, quemadmodum ostendam circa causas *procatarcticas*.

§. 4. Nullum itaque dubium est, quin ex sanguine *Infantium crassiore*, utpote qui *viscido sero* turgeat, istud omne potissimum emergat malum, sicque ilicò pateat *causa ejus antecedens*: cùm verò cerebrum, cum cæteris partibus, in iisdem Puerulis sit *molle* admo-

dum

dum atque *flexile*, ſequitur, quod minus reſiſtat prementi lymphæ, ab *Hippocrateo* (*ut eleganter loquitur, citato loco,*Clariſſimus *Drelincurtius*)*frigidi atque glutinoſi fonte deciduæ*, quæ aliquando, uti notavit famoſus *Guido Patinus, in diſſecto Campani cerebro, diſſimile non eſt, ſero lactis*, aliquando autem (quemadmodum ſupra notatum) *limpida* admodum eſt, & clara, aliquando quoque *roſcida & ſanguinolenta turbida.* Quis verò eſt, qui negabit, quod, hoc modo, nimium repletis glandularum cerebri, cerebelli, meningum, &c. canaliculis ſive vaſculis capillaribus, expanſiſque fibris vicinis, *imminuatur adeò ſecretio & diſtributio ſubtilioris ſanguinis partis*, ſive ſpirituum animalium, ut *ſenſuum ſtupor, & motuum languor* reſultet? quis dubitabit, ſero, ſeu lympha, uberrimè in cerebrum ruente, *reliquas partes ſuô fraudari nutrimentô*, adeoque macras reddi & ſtrigoſas? præprimis cum certum ſit, *aliarum* quoque partium canaliculos ab ſanguine craſſo, viſcoſoque, obſtrui, ita ut *nutritius ſuccus* diſtribui in omnem partium dimenſionem nequeat: Quis denique non credet, *craſſiores* ſanguinis partes, *languente* ſpirituum animalium *ſecretione & diſtributione*, ab invicem *notabiliter ſecedere*, *adeòque febrim lentam producere poſſe continuam?* præſertim cum hanc *ſimiliter* obſervare liceat in *cachecticis*, frigidioribuſque ferè morbis omnibus, in quibus ſanguinis *circulationem auctam* eſſe, vanum, meo judicio, foret ſtatuere & ridiculum; nec putem, cuipiam, ſi attenderit ad ſuperiora, obſcurum eſſe poſſe, quomodo vel *parotides* glandulæ, vel *palpebræ*, *aliæque partes vicinæ externæ* intumeſcant diverſimode, colore, jam *rubicundo*, jam *cæruleo*, jam *livido* &c. occurrente.

§. 5. Ad mali hujus *ortum & progressum*, mirum quantum contribuat *mala Matris diæta*, consistens speciatim in *aquosorum*, *acetariorum*, *lacticiniorum*, *leguminum & olerum*, (quorum catalogum exhibere, supervacaneum duco) abusu; Mirum etiam quantum *imaginatio fixa Matris*, utero gestantis, *Hydrocephalo* fomitem præbeat, vid. *Th. Barthol. obs. anat. cent.* 1. *obs.* 28. *Fabricium Hildan. cent.* 5. *obs.* 3. *Levin. Lemn. lib.* 1. *de occultis naturæ mirac. c.* 4. Ita etiam ictus, lapsus, quævisque alia, *vehementer* matrem afficientia, huc pertinent, ut & *sæva manus Obstetricis*, *quæ intempestivâ compressione ossium bregmatis, coarctatô insimul venarum spatio, lentæ circulationi, & hinc ortæ præternaturali secretioni aquosæ, quæ deinde laxatis fibrarum, canaliculorumque intervallis, se in ventriculos cerebri, vicinasque humidi lymphatici officinas*, stillando effundit, occasionem dare poterit. Nec excludenda venit *mala tenelli Fœtus intra carceres uterinos positio*, dum v. g. *declivi nimis* capite, susque deque procumbit.


§. 6. Ad *prognosin* quod attinet, patere satis puto, *Hydrocephalum* esse morbum curatu difficilem, si non *insanabilem*, imprimis si fuerit *internus* & *inveteratus*, *sique vascula lymphatica capitis fuerint rupta*, horum enim *consolidationem*, etiam in adultis, partibusque corporis *externis* & obviis, obtinere, quàm sit *difficile*, norunt illi, qui manum operi admoverunt, tantò etiam hoc erit in tenellis infantibus *difficilius*, quantò minus medicamentis *internis* uti poterunt; Taceo, quod viæ sint *nullæ*, quibus serum, *ut oportet*, evacuari poterit; frustra enim id tentaretur per *aures*, *nares & palatum*, nisi fortuitò & criticè, nam evacuationem *materiæ similis*, in cerebro stagnan-

gnantis, præſertim purulentæ &c. fieri poſſe *non negavero*, ſi autem vel *omne ſerum* evacuari poſſet, mox illud (*permanentibus ſcilicet obſtructionibus*) *recolligeretur*. Aliquando, ſerum ſibi viam ſternit verſus *medullæ ſpinalis* tractum, tumoremque aquoſum parit *in dorſo* inſignem. *Mirabilis extat*, monente Malpighio, *apud Jacobum Carpenſem, qui in Nepote Cardinalis Hiſtrigonienſis, capite vehementer vulnerato, copioſam aquam, in ampla fovea in cerebri ſubſtantia excitata, per vices coacervatam evacuabat, ſexageſimo autem die, hujus portio de novo collecta & coërcita, Epilepſiam cum totius corporis tremore & rigore excitavit, quâ evacuatâ, & conſolidato vulnere, Æger priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati.* Rariſſime extenditur *Hydrocephalus* in *ſeram ætatem*, annoſve *duodecim* aut *quatuordecim*; ſed haud raro, ſub *imagine apoplexiæ*, poſtquam varia genuerit ſymptomata, finem vitæ imponit.

§. 7. An igitur *ſanationi* dabitur locus? ſaltim aliquid tentandum eſſe in omnibus *deſperatis* morbis judico. *Eſt aliquid prodire tenus, ſi non detur ultra.* Premam autem hic veſtigia *aliorum Auctorum*, experientiâ *ipſâ*, nil hactenus *certi* me docente. *Allardus Herman. Cummius*, referente *Boneto l. c.* curavit Hydrocephalum modo ſequenti, primò *baculo in os immiſſo, apertum illud ſervari juſſit: hinc capite raſo, ſingulis diebus, bis aut ter, caput oleo chamomillorum, in quo ſtæchas arabica, ſpica, lavendula &c. per aliquot dies infuſa erant; caput inungi curavit & aquâ vitæ ablui; nonnunquam etiam aquam Elizabethæ, Reginæ Hungariæ adhibuit, utrique cruri cauterium applicuit, corpus quater ſingulis ſeptimanis, cum ſyrupo diacnici purgavit: in potu ſemper ali-*

quid de oleo tartari, per deliquium facti, exhibuit, in cibo sæpius aniso, cumino, anetho; ut puer uteretur suasit; Ista ergò cùm non prorsus ab ratione aliena mihi videatur curandi methodus, mutatis mutandis, pro re nata, hìc pedem figere possem, nisi & hæc subjungenda esse, necessarium ducerem: nempe *capillis tonsis, caput fomentandum est*, decocto radicum, herbarum, florum & seminum cephalicorum, non omisso cumino & radice cucum. asin. ut & bryon. sive infusis, sive coctis in s. q. aq. fabr. ferrar. vel vini generosi, cineribus clavellatis vel simili alcali & sulphure vivo nobilitati: postea imponatur cerotum *de cumino vel de labdano*, malaxatum balsamo sulphuris terebinthinato. *Culcitræ*, super quibus dormit Æger, sint aromaticis herbis & floribus impletæ, non neglectô sale comuni & arena, super hypocausto calefactæ. Clysteres autem ultilissimi sunt, ex hydragogis & calefacientibus compositi, venter aliquando inungatur, unguento de artan. addito felle bubulo & oleo aliquo aromatico. *Avicenna* (quam alii *jbn sina* scribendum censent) non male *cochleas integras probat, quæ bulliendæ veniunt, in decocto artemisiæ, stæchados, calaminthæ montanæ, vel cucumeris asinini, vel iberidis vel ebuli, post cochleæ ità decoctæ, contusæ & calidæ capiti deraso applicandæ. Oportet autem ut detineantur, quousque sponte decidant*: sunt qui *cruciali incisione* lympham abundantem evacuare tentant, sed meô judiciô, neutiquam recte, consentientibus Autoribus optimis, & inter hos *Vigier. oper. Med. Chir. lib.* 1. *cap.* 27. quoniam non solum mali causa, hoc modo, non tollitur, sed potius augetur, superveniente sæpissimè inflammatione, & gangrænâ lethali.

FINIS.



AAN
Den HEERE
PIETER VAN DE WALLEN,
Zullende werden aangenómen tot Geneesheer.


ó moet men dráven om den prijs
In Pallas loop-baan. Dit 's de wijs
Beroemde vande WALLEN,
Om, ſteigerende in wétenſchap,
Te klimmen naar een hooger trap,
En daar met eer te brallen.

Gy toont den Leerling, hoe hy moet
Zijn tijd beſteeden; eêr hy 't zoet
Van arbeid, zó veel jaaren
Getorſt, gelijk een laſtig pak,
Vol zorg, vol angſt, met ongemak,
Nog eynd'lijk kan vergaaren.

Deez

Deez' blaên zijn tuygen van uw' vlijt,
Niet mijne galmen. Laat de Tijd,
Nooyt moede van het rennen,
Die in het groote Wijsheits Koor
Vry voeren, dwars de Wolken door,
Met ſnel-geveerde pennen;

Op dat de Naam U toegeweid,
In and're plaatzen uytgebreid,
Een ieder mag doen hooren,
Dat U de blonde Apollo, naar
's Lantſwijze, in zijn Genees-heers ſchaar',
Al mêe heeft uytgekooren

Om Balzem, Zap, en Kruyd te biên
De krachtelooze Zieke Liên,
Die, onder pijnlijk karmen,
Verbleekt van káken, en gelaat,
U zullen, als een Hippocraat,
Tot heil, en hulp omarmen.

W. MYLIUS,
Med. Candid.

AD

PETRUM van de WALLE,

MEDICUM LEIDENSEM.

Mens generosa cupit magnis distringier, ut se
Exserat, ingenii vim probet ipsa sui.
Corporis humani cura quid majus? adesse
Huic animam voluit, causa utriusque, Deus;
Nec facere officium recte sine corpore sano.
Hujus ut haud unam cura propinet opem.
Ergo WALLIADE *studium TE nobile cepit,*
Conveniensque Tui dotibus ingenii.
Emicuere etenim sub claris arte Magistris,
Lugduni celebrant qui pia Templa Sacræ.
Phæbea crines igitur præcingere Lauru:
Doctori facilis nubit Hygea novo.

πρὸς τὸν Νυμφίον
ὁ Παράνυμφος.

NICOLAUS van RYP,
Medicinæ Studiosus.